

debita vel excessus arrestetur, impediatur, aut interturbetur, sed omnes causae ratione debitorum reiciantur ad commissarios principum in oppido Owar septima die februarii proxime sequentis congregandorum et conveniendum qui illic inveniant modum quo huiusmodi actoribus ius et iusticia satisfactionisque complementum administretur absque omni delatione.

Item, universa oppida, omnesque possessiones et villae, domus etiam et curae nobilitatis omnium dominiorum ac nobilium et aliorum possessionariorum hominum post festum beatorum Philippi et Jacobi apostolorum proxime preteritum usque tempus presencium induciarum per quos cumque de manibus quorumcumque violenter occupata et ademptae illis de quorum manibus fuerunt usurpata, et occupatae de facto et ex nunc absque omni colonorum gravamine et pacificatione remittantur infra
203* tempus presencium induciarum possidenda. Veruntamen castra seu arces ac civitates muratae, nec non castella et fortalicia sive sint saecularium sive spiritualium personarum, tam intra tempus premissum, quam etiam prius aut per expugnationem aut per deditionem consecuta et occupatae in quibus cumque comitatibus sint et adiaceant una cum universis oppidis, villis et possessionibus, porcionibus possessionariis, ad eiusmodi castra, civitates, castellaque de iure et ab antiquo pertinentibus quibus ut puta nunc gubernatur apud manus illorum vel principum ipsorum vel eorum subditorum, qui in presentiarum illa de facto possident durantibus induciis, (ut prefertur) presentibus remaneant, relinquunturque cum ordinariis proventibus suis tenenda atque possidenda, hoc adiecto quod universa bona ac alia iura possessionaria ecclesiarum puta capitulorum prepositurorum, abbaciorum, monialium et aliarum personarum ecclesiasticarum, quae ad aliquas arces aut municiones ab antiquo non pertinuerunt, quocumque tempore sint occupata illis quorum fuerunt per subditos utriusque principis absque omni similiter taxatione impedimentoque colonorum huiusmodi bonorum ex nunc et de facto remittantur resignenturque tempus infra premissum. Pari modo gubernanda ne officia divina per ipsorum bonorum usurpationem negligantur, hoc quoque declarato, quod domus et curiae nobilitatis etiam lapideae dominiorum vel nobilium post predictum beatorum Philippi et Jacobi apostolorum festum, per quoscumque occupatae et deinde vallo seu fossatis ac sepibus aut alio aedificio ligneo cinctae et circumdatae pro castellis

ac fortaliciis non reputentur neque intelligantur sed spoliatis hoc est illis quorum de manibus fuerunt occupatae de facto pariter restituantur.

Quia vero de comitatibus huius regni, cuius partis sint et ad quem Principem nunc pertineant variae difficultates emeruerunt. Ad tollendas igitur huiusmodi difficultates deliberatum est, ut omnes comitatus ad illum principem cum omni iurisdictione sua pertineant, quem comes aut comites eorum supremi recognoscant et in dominio honoris eorundem comitatum etiam modo persistunt. Illi vero comitatus qui legitimo ecent nunc comite, non obstante eo quod comites non habeant illi principi subsint, servantque cuius nunc dicioni et potestati de facto sunt subiecti. Attamen castra, civitates et castella in illis adiacentia simul cum pertinentiis suis prenaratis cuiuscumque partis sint apud manus illorum remaneant, qui nunc (prout in articulo precedenti declaratum est) illa possident. Illi vero comitatus in quibus iam ad partem unius quam alterius principis comites iampridem fuerunt constituti in suo statu priori relinquuntur, et quilibet comitum cum nobilibus ac ignobilibus dicioni suae subiectis suum principem, more hactenus consueto, 204 recognoscat et illi obsequetur in quo per neminem impediatur cogaturque aut molestetur.

Quod partes praedictae in comitatibus omnibus suis dicionibus modo prenotato subiectis proventus Camerae Regiae oblataque subsidia ab incolis suis et suorum omnium possint, tam ex integro, quam particulari, libere percipere cetera etiam domini et Nobiles ac possessionati omnes in bonis et possessionibus eorum quas dudum possiderunt vel etiam modo antelato nunc libere possident proventibus suis legitimis pacifice utantur.

Quod iudicia in causis hereditariis et aliis antiquis interim suspensa maneant. In his vero qui post susceptas presentes inducias ratione quarumcumque violenciarum emeruerint, hoc modo procedatur, ut quando res agenda venit inter eos qui partium sunt diversarum, tunc is qui iniuriam patitur pro ea agat coram illo comite in cuius comitatu ambo resident; comes tamen adiungat sibi alium comitem vicinum qui sit de parto querentis iusticiam. Inter eos vero qui unius tantummodo partis sunt, fiant iudicia more consuefo.

Quod durantibus induciis et treugis presentibus, nemo fidelium et subditorum alterius partis cum castris, castellis et quibusvis aliis fortaliciis ac iuribus possessionariis ad partem alteram deficere presumat, et neque per eam partem acceptari,